



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XXI. Alcithoë sorores, in Vespertiliones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

mæ, & artis expugnandi viros. Sumit igitur cultum & comitatum pro ea re, quam agitabat. Cydno fluvio subvehi se molliter jubet navi aurata, remigio argentato, velis purpureis, ad modulorum tibicinum, & citharædorum. Ipsa recumbebat sub conopeo aureo, gemmis distincto: pueri formosuli, habitu Cupidinum adstabant, & ministrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ instar Nympharum per forulos & tabulata navis disponebantur. Ad ripam utramque frequentes ab obvijs, & visoribus aræ & odores. Quid verbis opus? passim voces (& res ita erat) *Venerem ad Bacchum venire commessatum.* Lips. in Monit. Pol.

SYMBOLUM XXI.

Alcithoë & sorores, in vespertiliones.

4. *Metam.*

Ethicè.

1. *Feminarum labor, lanificium.* 2. *Neglectus cultus divini.*

Indicta fuerant Bacchi (adeò Deus hic religione mentes tenebat) per Sacerdotes ejus, festa sacrificia. Fit undique concursus ad illa per omnem Thebaidis regionem, portentis, quæ memoravimus, attonitam. Tamen, ut perversa est feminarum ingenium, non defuit mulier Thebana (nomen ei Alcithoë) quæ quamvis cum sororibus, oculis, auribusque perciperet quantis ab omni ætate & conditione celebraretur Bacchus honoribus, noluerunt tamen animum inducere ad sua studia alij attemperanda. Et quia lanificio dabant operam, tantò magis urgebant domi pensum, quantò frequentiores alias ex ædibus suis matronas evocabat colendi Numinis ardor. Viderunt

Immunè que operum famulas, dominasque suorum
Pectora pelle tegi, Crinales solvere vittas,
Serta comis, manibus frondentes fumere thyrsos.

Nihil ex eo sunt motæ Alcithoë & sorores, Minci filia; instant labori, pertexunt telam, contemnunt diem festum. Et ecce tibi! dum totæ sunt in deducendo filio, subitus tympanorum strepitus allabitur ad aures, tibiæ præterea cantus, & cymbalorum sonitus; neque tamen unde

unde accideret, pompâ jam longiùs Bacchica ab ædibus dilapsâ, conijcere poterant. Jámque non aures modò mulceri modulis, sed nares quoque odoribus myrrhæ, storacisque aspergi, præsentissimo Dei in conclave ipsum adventantis indiciò. Quid, quod subito telæ verterentur in vites & hederas, fila transirent in palmites, stamina verterentur in pampinos: uvæque maturæ de fuis, tanquam de vitibus penderent. Et quoniam exactus dies in crepusculum vergebat, terrorem augebant intendentes se tenebræ & nova cum his monstra; nam visâ domus à fundamentis concuti, lampadum ardere faces, & horrifoni ferarum ululatus audiri. Igitur exterefactæ fugere, & ubi ubi possent, latebras querere. Quod dum faciunt, repentina metamorphosi cæperunt in vesperiliones mutari

----- parvos membrana per artus

Porrigitur, tenuisque includunt brachia pennæ,

Nec qua perdididerint veterem ratione figuram

Scire sinunt tenebræ; non illas pluma levavit:

Sustinuere tamen se perlucentibus alis:

Conataque loqui, minimam pro corpore vocem

Emittunt: peraguntque levi stridore querelas:

Tectaque, non silvas celebrant, lucemque perosæ

Nocte volant, seroque tenent à vespere nomen.

Ethica.

1. (a) Quædam sunt in his feminis laudanda, quædam vituperanda. Commendationem meretur, quod otij fugientes, manus lanificio occuparint. Romani veteres in nuptijs non secus *Thalassionem* seu *Thalassum*, ac Græci *Hymenæum* celebrabant; ut videlicet hæc nuptiali voce provocarentur novæ nuptæ ad lanæ opificium; nam Varrone teste Prisci thalassionem vocabant quasillum seu calathum, vas vimineum, in quo femina reponunt ea, quæ ad nendum & texendum pertinent. In foedere etiam inter Romanos & Sabinos percussio, lex & conditio hæc est facta, ut volentes, lubentes matronæ apud viros, à quibus raptæ erant, manerent, omnium operum atque munerum vacationem, præterquam lanificij habituræ, ut est à Plutarcho in Romulo proditum. Hinc sponsæ, quod præter alios refert Plinius lib. 8. c. 48. *colum & fustum* secum in domum sponsi inferebant, virorumque januam lanâ coronabnat

(a) *Feminarum labor lanificium.*

bant ac cingebant: hac quoque ceremonia indicantes, lanæ faciendæ laborem in domo maritali exercendum. Et constat è lib. 1. Livij Lucretiam illam, castimonia decus, sera nocte lanæ deditam, intèrque lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem à Collatino marito, juvenibusque Tarquinijs inventam esse. Non minùs nota est alterius heroinæ, Penelopes, Vlyssis uxoris in lanificio industria, de qua plura inferiùs. Virgilius quoque lib. 8. Æneid. bonæ matrisfamilias fedulitatem laudat.

Cui tolerare colò vitam, tenuique Minerva;
Impositum cinerem, & sopitos suscitavit ignes
Noctem addens operi, famulâsque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos.

S. Hieronymus instituens nobilissimam virginem Demetriadem: Habeto, ait, lanam semper in manibus, vel staminis fila pollice deducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusi vertantur. Et alibi ad *Latam* de institutione filiæ: Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fufum, stamina pollice ducere. Magni illius Alexandri vestem non aliæ manus, quàm sororum texuerunt, ut memorat Curtius lib. 5. c. 8. Quin ipsa Pallas seu Minerva linum, lanamque tractavit, hinc & pro oleo, & lanificio usurpatur. Vnde hinc Ovidius Alcithoën loquentem inducens canit:

Nos quoque, quas Pallas, melior Dea detinet, inquit,
Vtile opus manuum vario sermone levemus.

Lanificium etiam Satyricus castis feminis attribuit. Juven. Sat. 6.
Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitij contingi parva sinebant
Tecta labor, somniquè breves, & vellere Thusco
Vexatæ, duræque manus.

Salomon Proverb. 31. encomia matronæ numeris omnibus absolute depingens, lanificij meminit: *Lanam* inquit, & *linum quæsit*, & *operata est consilio manuum suarum*, hoc est artifices manus admovit operi texendi, ultrò, sine monitis, sine jussu mariti: laborem ipsamet quæsit, & lineas ac laneas vestes confecit.

II. (b) Cur igitur Alcithoë & sociæ Mineides (Minei, ut diximus, filiæ) tam gravem laboris honesti ac utilis pœnam dederunt? audi Poëtam:

----- Ismenides (c) adsunt,

(b) *Neglectum cultus divini.* (c) *Thebanæ mulieres.*

Jussaque

Jussaque sacra colunt. Solæ Mineides intus
 Intempestivâ turbantes Sacra Minervâ
 Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant.

En causam. Intempestivæ Minervæ, seu lanifico labori operam
 dabant, eo tempore, quò curæ ad rem divinam convertendæ. Monet
 Ecclesiastes c. 3. *Omnia tempus habent.* Græcè κινεῖς τῷ παντὶ πρᾶγματι.
 Opportunitas est omni rei, vel negotio. Sapienter Boëtius lib. 2. de
 Consol. Metro. 6.

Signat tempora proprijs
 Aptans officijs Deus;
 Nec quas ipse coercuit
 Misceri patitur vices.

Peccârunt hîc Mineides, quæ qua superstitione alios colebant Deos
 ac Deas, hæc quoque sacra lanificio suo anteponere debebant. Qua-
 rum præposteram diligentiam ac laborem imitantur multi, dum negle-
 ctis divinis, nimium studium lucris impendunt terrenis. Diu, noctû-
 que rotantur curis, agunt, fatagunt, currunt, sudant, conquirunt: in
 eo sunt toti, rem ut familiarem augeant, immemores cœli, Deique. Sed
 quo fructu? Denique *Vespertilio*nes evadunt, qui neque aves sunt, ne-
 que mures: volant sine pennis, suumque volatum crepusculo vespertino
 paucis circa tectum flexibus absolvunt, neque lucis patientes, neque no-
 ctis. Ita hî, quos nimia quæstûs cupiditas excæcavit, nec terram pos-
 sident, à qua citò avelluntur; nec cœlum acquirunt, quod seriò nun-
 quam quæsierunt. Videntur quandoque subvolare nonnihil, & frigi-
 dum in astra suspirium mittere; sed mox in terram amore habendi re-
 labuntur. Sic dum curam ex cura, tanquam filum è filo trahunt, &
 nescio quas spes contexere videntur, post breve vitæ spatium exactum,
 seròprehendunt *in vanum se laborasse*: indignos esse, qui lucem sem-
 piternæ felicitatis aspiciant: dignos, qui noctem illam horrendam, nul-
 lis unquam supplicijs finiendam ducant; fietque verum lemma, quod
 vespertiloni volanti additur: *Sol absens dat mihi lumen.* Aperient de-
 nique oculos ad inferos damnati, & in tenebris videbunt calamitates nul-
 lo calamo describendas.



SYM-